



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXIX. Qua ratione vna persona in alia esse dicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Subiecto autem cæterorum, creationis infirmitatis.

An secundum dicendum, quod æqualitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in diuinis significat perfectionem naturæ (vt dictum est) & ad essentiam pertinet. Et ideo æqualitas in diuinis & similitudo secundum essentialia attenditur: nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici. Vnde August. dicit contra Maxim. Originis quæstio est, quid de quo sit, æqualitatis autem qualis, aut quantus sit. Paternitas igitur est dignitas patris, sicut & essentia patris. Nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio. Verè ergo dicitur, quod quicquid dignitatis habet pater, habet filius: nec sequitur, paternitatem habet pater, ergo paternitatem habet filius. Mutatur enim quid in ad aliquid. Eadem enim est essentia, & dignitas patris & filij. Sed in patre est secundum relationem dantis, in filio secundum relationem accipientis.

Ad tertium dicendum, quod relatio in diuinis non est totum vniuersale, quamuis de similibus relationibus prædicetur, quia omnes relationes sunt vnum secundum essentiam & esse. Quod repugnat rationi vniuersalis: cuius partes secundum esse distinguuntur. Et similiter persona (vt supra dictum est) non est vniuersale in diuinis. Vnde neque omnes relationes sunt maius aliquid, quam vna tantum: nec omnes personæ maius aliquid quam vna tantum: quia tota perfectio diuinæ naturæ est in qualibet personarum.

CONCLUSIO est affirmans, circa quam nihil est notandum, præterea, quæ de relationibus æqualitatis, & similitudinis inter personas diximus disputat. 169.

ARTICVLVS .v.

Vtrum Filius sit in Patre, & è conuerso.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit in patre, & è conuerso. Philosophus enim in 4. Physic. ponit octo modos essendi aliquid in aliquo, & secundum nullum horum filius est in patre, aut è conuerso: vt pater discurrunt per singulos modos. Ergo filius non est in patre, nec conuerso.

2. Præterea. Nihil quod exiuit ab aliquo, est in eo, sed filius ab æterno exiuit à patre, secundum illud Michæ. 5. Egredietur eius ab initio à diebus æternitatis. Ergo filius non est in patre.

3. Præterea. Vnum oppositorum non

est in altero. Sed filius & pater opponuntur relatiue. Ergo vnus non potest esse in alio.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est.

Respondeo dicendum, quod in patre & filio tria est considerare, scilicet essentiam, & relationem, & originem, & secundum quodlibet istorum filius est in patre, & è conuerso. Secundum essentiam enim pater est in filio, quia pater est sua essentia, & communicat suam essentiam filio non per aliquam suam transmissionem. Vnde sequitur, quod cum essentia patris sit in filio, quod in filio sit pater. Et similiter cum filius sit sua essentia, sequitur quod sit in patre, in quo est eius essentia. Et hoc est, quod Hilarius dicit 5. de Trinit. Naturam suam (vt ita dicam) sequitur immutabilis Deus immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus inest. Secundum etiam relationes manifestum est, quod vnum oppositorum relatiue est in altero secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam, quod verbo dicitur, in verbo continetur. Et eadem ratio est de Spiritu sancto.

Ad primum ergo dicendum, quod ea quæ in creaturis sunt, non sufficienter præsentant ea quæ Dei sunt. Et ideo secundum nullum eorum modorum, quos Philosophus enumerat, filius est in patre, aut è conuerso. Accedit tamen magis ad hoc modus ille secundum quem aliquid dicitur esse in principio originante: nisi quod deest vnitas essentiarum in rebus creatis inter principium, & id quod est à principio.

Ad secundum dicendum, quod exitus filij à patre est secundum motum processionis interioris, prout verbum exit à corde, & manet in eo. Vnde exitus iste in diuinis est secundum solam distinctionem relationum, non secundum essentialiam aliquam distantiam.

Ad tertium dicendum, quod pater & filius opponuntur secundum relationes, non autem secundum essentiam, & tamen oppositorum relatiue vnum est in altero, vt dictum est.

Conclusio est affirmans, & de fide, Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est.

DISPUTATIO CLXIX.

Qua ratione vna persona in alia esse dicatur.

Vnam personam non esse in alia secundum se ratam sentit Henricus, c. 1.

Vnam personam totam esse in alia, & e contra, probabilior opinio docet, c. 1.

CAPVT I.

Vnam personam non esse in alia secundum se totam, sentit Henricus.

CAP. II.

333

in alia, quam essentia ipsa; sed essentia dicitur esse in persona sicut natura illius, & non per circuminflectionem (vt dicit soler) ergo non erit vna persona in alia per circuminflectionem. Tum etiam eadem persona diceretur esse in seipsa.

CAPVT II.

Vnam personam totam esse in alia, & contra, probabilior opinio fert.

Nobis probatur sententia Scoti, quam sine dubio sequitur Caietan. & Canar. in hunc artic. & videntur consentire Bonauent. in 1. dist. 19. quæst. 4. & Gabr. q. 2. art. 1. Capreol. q. 1. art. 11. ad 3. Ferrar. 4. contra. Bonauent. Gabriel. Capreol. Ferrar. Marfil. in 1. quæst. 22. art. 2. videlicet totam vnam personam esse in alia per circuminflectionem, ita, vt non tantum essentia vnius dicatur esse in alia, tamen si ratio existendi solum sit communis essentia; sed etiam dicatur esse vna persona in alia. Probat primum ex Hilario, qui 7. de Trinit. circa fin. sic loquitur: *Inesse autem non aliud in alio, vt corpus in corpore, sed ita esse ac subsistere, vt subsistens in subsistenti inquit, ita vere inesse, vt ipse subsistat.* Quibus verbis explicans modum, quo vna persona in alia esse dicitur, nostram expressit sententiam. Nam cum personæ primo conueniat subsistere, & sit in alia persona, vt subsistens in subsistente, sequitur secundum se totam in ea esse. Deinde canit Ecclesia in hymno Ambrosij. in laudibus feræ 2. *In patre totus filius, & totus in verbo pater.* Qui autem est in alio secundum aliquid, non dicitur esse totus in alio.

In huius vero sententiæ confirmationem notat Scotus, alicui toti aliquid conuenire vno ex duobus modis, aut secundum se totum, aut secundum partem: secundum partem vt cum oculus sanatur, homo dicitur etiam sanari: hoc autem primo conuenit parti, & ratione illius toti. Huius meminit Aristot. 5. phys. c. 1. illud autem conuenit alicui secundum se totum, quod non conuenit primo parti, vt triangulo conuenit secundum se totum primo habere tres angulos æquales duobus rectis. Eodem modo esse in aliquo conuenit alicui his duobus modis; aut secundum totum, quia totus est in alio, aut secundum partem, vel secundum aliquid sui, quia aliquid sui est in alio, & ita parti primo conuenit esse in alio, atqui totus pater est in filio, & contra, & qualibet persona tota in alia: ergo non secundum aliquid sui hic modus existendi conuenit personis. Totum autem Patrem esse in filio, præter dicta Sanctorum, quæ allegauimus, ipse communis modus loquendi confirmat, siquidem persona vt subsistens, existit in alia vt subsistenti; subsistere autem primo conuenit toti, ergo & existere hoc modo.

Concedunt tamen Scotus, Caiet. & cæteri, qui posteriorem opinionem sequuntur, rationem & fundamentum, propter quod vna persona existit in alia, esse communem essentiam, connotatis tamen tribus personis, ita, vt hic modus existendi non conueniat primo essentia (sicut in exemplo Henrici esse caput in laqueo primo conuenit pedibus animalis, & ratione illorum toti) sed ita, vt primo conueniat toti supposito, fundamentum autem sit essentia communis, quo deceptus videtur Henricus, vt priorem sequeretur sententiam. Recte igitur Bonauent. loco citato dixit, hoc modo existendi per circuminflectionem ita denotari vnitatem cum distinctione, vt veritas sit indistin-

cta &

Nemo Scholasticorum negat, filium esse in patre, & patrem in filio, & eodem modo vnam personam in alia, cum dicatur, Ego in patre, & pater in me est, vtrum vero sit vna persona in alia secundum se totam, an secundum aliquid sui, controuersum est inter Scholasticos. Henricus in summa, vt refertur ad Scotum in 1. dist. 19. quæst. 2. §. De primo, censet vnam personam non esse in alia secundum se totam, sed secundum aliquid sui, hoc est, secundum essentiam; cui consentire videtur Durandus in 1. dist. 19. quæst. 4. Pro cuius sententiæ explicatione notat Henricus, aliquid esse in alio dupliciter, primum, secundum se totum, vt vinum est in amphora: deinde secundum partem, quæ non est vtrique communis, sicut auis dicitur esse in laqueo secundum pedes, qui sunt partes ipsius auis, altero modo secundum aliquid quod est vtrique commune, sicut si esset monstrum (inquit ille) habens duo capita, & duo corpora, quibus duo tantum pedes ferirent, vnum horum animalium esset in alio secundum partem communem vtrique. Sic ergo ait, vnam diuinam personam esse in alia non secundum se totam, & esset enim secundum essentiam, & secundum relationem; & ita non tantum in filio esset essentia, sed etiam paternitas, quod videtur absurdum; quia sic filius esset pater, & pater filius; sed secundum aliquid sui, nempe secundum essentiam, quæ vtrique communis est: id quod deinde hac ratione confirmat, impossibile est, vnum esse in alio, & contra, secundum se totum: sicut videtur impossibile, vnum secundum se totum ab alio contineri, & rursus illud contineri, etiam secundum se totum: ergo nec vnam personam diuinam in alia esse potest secundum se totam, & contra, sed tantum secundum aliquid sui.

Hanc sententiā refutat Scotus quæst. illa 2. §. Contra illud, hac ratione. Vnam personam esse in alia est relatio mura personæ existentis, & eius, in qua est, & eiusdem rationis in vtroque extremo, sicut similitudo; sed ratio, propter quam vna persona dicitur aliam in se habere, non est sola essentia, quia non continet aliam personam ratione solius essentia, sed secundum se totam; ergo & ratio, ob quam vna persona dicitur esse in alia, non est sola essentia, quia relatio hæc mutæ existentia in alio est eiusdem rationis. Huic tamen rationi recte occurrit Durand. loco citato: ait enim relationem illam, (quam dicit Scotus) non esse eiusdem rationis in vtroque extremo: in vna enim persona est relatio quasi contenti, in alia vero quasi continentis: tamen si vtrique relatio in vna respectu alterius reperitur. Ex relatione tamen contenti & contenti, ex qua videtur Scotus argumentari, non recte colligit id, quod contendit.

Deinde melius impugnat Henricum hoc modo. Cum aliquid est in alio ratione partis, non alio modo est in eo, quam illa pars, vt si pars vnius sit in alio, vt in loco, totum eadem ratione diceretur in eo esse: si ergo vna persona dicitur in alia esse ratione essentia tantum, hoc est, quia solum in alia est essentia illius, non alio modo vna persona erit

Etia & distinctio inconfusa. Cum ergo infert Henricus contra hanc sententiam, relationem patris esse in filio, si pater secundum se totum est in filio concedendum est ita, ut modus existendi paternitatis in filio non sit, sicut formæ inherens; sed sicut subsistentis cum patre in subsistente filio, qui dicitur modus circuminfectionis.

Neque contra hoc est, quod docuit S. Thom. in hoc art. cum dixit, vnam personam esse in alia ratione quoque relationis. Nam ut optime notauit Caiet. noluit dicere S. Doctor, vnam personam esse in alia ratione relationis modo illo circuminfectionis; huius enim sola essentia ratio est, ut explicauimus; sed sicut vnum relatum est in alio, conceptu scilicet & intellectione. Quare frustra laborant Durand. & Scotus, dum impugnare contendunt hanc doctrinam. Quod etiam dixit S. Thom. nempe vnam personam esse in alia ratione operationis immanentis, optime defenditur à Caiet. contra rationes Aureoli, quæ nullius momenti sunt.

Sed quæret aliquis, an sit diuersum fundamentum relationis, quia vna persona dicitur esse in alia & ab ea contineri & relationis eius personæ, quæ contineri dicitur, & in qua alia est. Durand. existimat, rationem & fundamentum, propter quod vna persona dicitur continere aliam, esse personam secundum totum, quod in ipsa est, hoc est, secundum proprietatem & essentiam simul, fundamentum vero, ob quod vna persona dicitur esse in alia, esse solam essentiam: quia id, quod continet, comparatur ad id, quod continetur, quasi excedens ipsum. Nec mirum hoc est in Durandi opinione, qui cum Henrico putat, vnam personam in alia esse secundum aliquid sui, sed à tota alia contineri. Cæterum verius existimo, idem omnino esse fundamentum, videlicet essentiam communem, connotatis personis; & simul esse fundamentum diuersæ relationis in distinctis personis, continentis videlicet, & eius quæ continetur: qui tamē respectu primo conueniunt toti personæ, non essentia. Hoc fundamentum circuminfectionis explicasse videtur Hilar. 2. de Trinit. versus finem, his verbis. *Manere in filio patrem non est singularis aut vnicui, quasi dicat, hoc modo existendi denotatur pluralitas.*

Tandem obferua, hanc relationem non esse realem, sed in omnium sententia esse rationis. Primum quidem, si primo essentia conueniret, ut prior opinio asserere videtur, non esset realis, sicut neq; relatio similitudinis & æqualitatis: deinde etiam si primo conueniant personis, quia tamen conuenit eis, quatenus distinctæ sunt, & reallibus relationibus distinguuntur, & vna relatio realis non potest à reali referri, ut disp. 166. c. 4. dictum est, non potest esse realis, sed solum rationis, quanihā aliud secundum rem significare volumus, quam vnam essentiam absolutam in tribus personis. Vtimur autem nominibus relatiuis, quia hoc proprium nobis est in hac vita, ut ferè omnia relate cognoscamus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Filius sit æqualis Patri secundum potentiam.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit æqualis patri se-

eundum potentiam. Dicitur enim Ioan. 5. Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Pater autem à se potest facere. Ergo pater maior est filio secundum potentiam.

2. Prætereā. Maior est potentia eius, qui præcipit & docet, quam eius qui obedit & audit: sed pater mandat filio, secundum illud Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Pater etiam docet Filium, secundum illud Ioan. cap. 5. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Similiter & filius audit, secundum illud Ioan. 5. Sicut audio iudico. Ergo pater est maioris potentia quam filius.

3. Prætereā. Ad omnipotentiam patris pertinet, quod possit filium generare sibi æqualem. Dicit enim Augustinus in lib. contra Maximinum. Si non potuisset generare sibi æqualem, ubi est omnipotentia Dei Patris? Sed filius non potest generare filium, ut supra ostensum est. Non ergo quicquid pertinet ad omnipotentiam patris, potest filius. Et ita non est eim potestate æqualis.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 5. Quæcumque pater facit, hæc & filius similiter facit.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod filius est æqualis patri in potestate. Potentia enim agendi conquiretur perfectionem naturæ. Videmus enim in creaturis, quod quanto aliquis habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo. Ostensum est autem supra, quod ipsa ratio diuine paternitatis & filiationis exigit, quod filius sit æqualis patri in magnitudine, id est in perfectione naturæ. Vnde refinitur, quod filius sit æqualis patri in potestate. Et eadem ratio est de Spiritu sancto respectu vtriusque.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc, quod dicitur Filius non potest à se facere quicquam, non subtrahitur filio aliqua potestas, quam habet pater, cum statim subdatur, quod quodcumque pater facit filius similiter facit: sed ostenditur, quod filius habet potestatem à patre, à quo habet naturam. Vnde dicit Hilar. 2. de Trinitat. Naturæ diuinæ hæc unitas est, ut ita per se agat filius, quod non à se agat.

Ad secundum dicendum, quod in demonstratione patris & auditione filij non intelligitur, nisi quod pater communicat scientiam filio, sicut & essentiam. Et ad idem potest referri mandatum patris, per hoc, quod ab æterno dedit ei scientiam &

225.
1. d. 20.
art. 2.

& voluntatem agendorum, eum generādo. Vel potius referendum est ad Christum, secundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quod sic eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio: illa eadem est potentia qua pater generat, & qua filius generat, & qua filius generatur. Vnde manifestū est, quod quicquid potest pater, potest filius: non tamen sequitur, quod possit generare, sed mutatur quid in ad aliquid. Nam generatio significat relationē in diuinis. Habet ergo filius eandem potentiā quam pater, sed cum alia relatione. Quia pater habet eam, vt dans. Et hoc significatur, cum dicitur, quod potest generare. Filius autem habet eam vt accipiens. Et hoc significatur, cum dicitur, quod potest generari.

Conclusio est affirmans: circa quam & totum articulus differimus supra dist. 169.

QVÆSTIO XLIII.

De Missione diuinarum personarum.

Deinde considerandum est de missione diuinarum personarum. Circa hoc quaruntur octo.

ARTICVLVS I.

Utrum alicui persona diuina conueniat mitti.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod personæ diuinæ non conueniat mitti. Missus enim minor est mittente. Sed vna persona diuina non est minor alia. Ergo vna persona non mittitur ab alia.

2. Præterea. Omne quod mittitur, separatur à mittente. Vnde Hieronymus dicit super Ezech. Quod coniunctum est, & in corpore vno copulatum, mitti non potest: sed in diuinis personis nihil est separabile, vt Hilarius dicit, ergo vna persona non mittitur ab alia.

3. Præterea. Quicumque mittitur ab aliquo loco discedit, & ad aliquem locum de nouo vadit. Hoc autem diuinæ personæ non conuenit, cum ubique sit. Ergo diuinæ personæ non conuenit mitti.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 8. Non sum ego solus, sed ego & qui misit me pater.

Respondetur dicendum, quod in ratione missionis duo importantur. Quorum vnum est habitudo missi ad eum, à quo mittitur. Aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur. Per hoc autem, quod aliquis mittitur, ostenditur processio quædam missi à mittente: vel secundum imperium, sicut Dominus mittit seruum, vel secundum consilium, vt si

ARTIC. I.

335

consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum: vel secundum originem, vt si dicatur, quod flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, vt aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius ibi omnino non erat, quo mittitur: vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat. Missio igitur diuinæ personæ conuenire potest secundum quod importat ex vna parte processionem originis à mittente. Et secundum quod importat ex alia parte nouum modum existendi in alio. Sicut filius dicitur esse missus à patre in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam: & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod missio importat minorationem in eo, qui mittitur, secundum, quod importat processionem à principio mittente, aut secundum imperium, aut secundum consilium: quia imperans est maior, & consiliarius est sapientior. Sed in diuinis non importat nisi processionem originis, quæ est secundum æqualitatem, vt supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod illud quod sic mittitur, vt incipiat esse, vbi prius nullo modo erat, sua missione localiter mouetur. Vnde oportet, quod loco separatur à mittente. Sed hoc non accidit in missione diuinæ personæ, quia persona diuina missa, sicut non incipit esse, vbi prius non fuerat, ita nec definit esse vbi fuerat. Vnde talis missio est sine separatione, sed habet solam distinctionis originis.

Ad tertium dicendum, quod obiectio illa procedit de missione, quæ fit secundum motum localem, quæ non habet locum in diuinis.

Conclusio est: Missio conuenire potest alicui personæ diuinæ, secundum quod ex vna parte denotat processionem originis à mittente: ex alia vero nouum modum existendi alicui, quod dicitur mitti. Ex hac conclusione facile colligemus sententiam Doctoris sancti, quæ cum alijs late examinabimus sequenti disputatione.

DISPUTATIO CLXX.

quid sit missio diuinæ personæ.

Varia sententia Scholasticorum, cap. 1.

Missionem solum esse æternam processionem connotato effectum temporalem, verior sententia est, 6. 2.

Corollaria præcedentis opinionis, 6. 3.

CAPVT I.

Varia sententia Scholasticorum.

Explicata semel natura & definitione missionis, reliqua, quæ in hac questione disputat S. Thom. facile illustrabuntur: ignorata namque vera